

In diébus illis:

- <sup>1</sup> Appáruit Abrahæ Dóminus iuxta Quercus Mambre sedénti in óstio tabernáculi sui in ipso fervóre diéi.
- <sup>2</sup> Cumque elevásset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidísset, cucúrrit in occúrsum eórum de óstio tabernáculi et adorávit in terram
- <sup>3</sup> et dixit:  
«Dómine mi, si invéni grátiam in óculis tuis, ne tránseas servum tuum;
- <sup>4</sup> afferátur pauxillum aquæ, et laváte pedes vestros et requiéscite sub árbore.
- <sup>5</sup> Ponámque buccéllam panis, et confortáte cor vestrum póstea transíbitis; idcírco enim declinástis ad servum vestrum». Qui dixerunt:  
«Fac ut locútus es».
- <sup>6</sup> Festinávit Abraham in tabernáculum ad Saram dixítque:  
«Accélera, tria sata símilæ commísce et fac subcinerícios panes».
- <sup>7</sup> Ipse vero ad arméntum cucúrrit et tulit inde vítulum tenérrimum et óptimum dedítque púero; qui festinávit et coxit illum.
- <sup>8</sup> Tulit quoque butýrum et lac et vítulum, quem cóxerat,

et p̄s̄uit coram eis.

Ipse vero stabat iuxta eos sub árbore;  
et comedérunt.

<sup>9</sup> Dixerúntque ad eum:

«Ubi est Sara uxor tua?».

Ille respóndit:

«Ecce in tabernáculo est».

<sup>10</sup> Cui dixit:

«Revértens véniam ad te tēmpore isto,  
et habébit filium Sara uxor tua».

Verbum Dómini.